



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KORHOGOËNSIS\*** IN LITORE EBURNEO  
CONSTITUITUR NOVA PROVINCIA  
ECCLESIASTICAKOROGHOËNSIS, CUIUS METROPOLITANA  
ECCLESIA ERIT SEDES EIUSDEM NOMINIS Ad aptius providendum Evangelizationis operi in Litore Eburneo,  
Republica Continentis Africae, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium  
Evangelizatione praepositi, re mature perpensa habitoque faventi voto Venerabilis Fratris Ianuarii Bolonek, Archiepiscopi  
titulo Madaurensis atque in eadem Natione Apostolici Nuntii, proposuerunt nuper ut ibidem inter alias nova Provincia  
ecclesiastica constitueretur Korhogoënsis nomine. Nos quidem, gravissimo fungentes munere Supremi Pastoris totius  
gregis Dominici, talem sententiam ratam habemus quaeque sequuntur decernimus. A metropolitana Ecclesia Abidianensi  
detrahimus dioeceses Korhogoënsem et Katiolaënsem atque ex his, adjuncta quoque dioecesi Odiennensi hoc ipso die  
condita, efficimus Provinciam ecclesiasticam *Korhogoënsem*, cuius Sedes princeps erit Ecclesia Korhogoënsis, quam ad  
gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus datis iuribus et officiis huiusmodi Sedium  
propriis, assignantes eidem ceteras, quas diximus, dioeceses uti suffraganeas. Insuper Venerabilem Fratrem Augustum  
Nobou, hactenus Episcopum Korhogoënsem, Archiepiscopum Metropolitam Korhogoënsem renuntiamus, cunctis factis  
iuribus impositisque pariter obligationibus. Quae praescripsimus perficienda committimus memorato Venerabili Fratri  
Ianuario Bolonek, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae executionis ad Congregationem pro  
Gentium Evangelizatione. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis  
quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini  
millesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

JOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 6, p. 542 © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana